



# Dissertatio medica inauguralis de haemoptoe

<https://hdl.handle.net/1874/340692>

14

EXERCITATIO MEDICA  
INAUGURALIS,  
DE  
**HÆMOPTOE,**

*QVAM*  
ADSPIRANTE SUMMO NUMINE  
*Ex auctoritate Magnifici D. Rectoris,*

D. JOHANNIS van MUYDEN,

Jur. Utr. Doct., ejusdemque Facultatis in Illustri hac Academia  
Ultrajectina Professoris Ordinarii, Dignissimi

NEC NON

*Amplissimi Senatus Academicī consensu, & Alma  
Facultatis MEDICÆ Decreto,*

PRO GRADU DOCTORATUS,  
Summisque in MEDICINA honoribus, & Privilegiis  
ritè, ac legitimè consequendis.

*Eruditorum Examini subjicit*

CORNELIUS van SCHAGEN, Amstel-Batav.  
*Ad diem 4. Julii horâ locoque solitis.*



TRAJECTI ad RHENUM,

Ex Officina FRANCISCI HALMA, Academice  
Typographi, clc Icc Lxxxvii.

*VIRIS CONSULTISSIMIS AMPLISSIMIS,*

**D. CORNELIO S'GRAVESANDEN,**

M.D. Urbis Delphensis Senatori nuper Judici, Anatomæ & Chirurgiæ Prælectori, Practico expertissimo ; felicissimo &c. Patruo meo ætatem colendo.

**D. ABRAHAMO van CLEEF , J.U.D.**

olim apud SCHIDAMENSIS PRÆTORI vigilantissimo strenuissimo hoc tempore Senatori gravissimo &c. avunculo meo usque venerando.

**D. ARNOLDO SLAGTOE ,**

in Civitate Delphæsi Senato riprudentissimo ; jam Consuli amplissimo celeberrimo &c.

**D. ABRAHAMO vanden VELDEN,**

Ecclesiæ Reformatæ quæ apud Delphenses colligitur Presbytero piissimo , Notario fidelissimo accuratissimo &c.

*Curatoribus meis de me quam optimè meritis.*

**D. JOANNI van OOSTERWYCK ,**

Societatis Indicæ Orientalis aliquando negotiatori in Regno Bengalensi, nunc Procuratorum Sacrarum ædium apud Amstelodamæos Collegæ, ut & mercature, quæ in mari mediterraneo exercetur, directori vigilantissimo &c. Cognato meo conjunctissimo, amantissimo.

**D. JACOBO VALLAN, M.D.**

in celeberrima hac Ultrajectina Academia prax. & Institut. Med. Professori Ordinario , Practico exercitatissimo versatissimo &c. Præceptor ac Promotori, dum Spiritus hos regit artus, suspicioendo.

*Theſes hæc*

Offert & dedicat

CORNELIUS van SCHAGEN.

*Anctor.*

# LECTORI S.

**D**ubius omnino dudum hæsi , quannam potius  
materiam doctoratus gradus obtinendi causa  
ventilandam conscriberem , quum tot & Sermo-  
monis elegantia , & summa circa artem Medi-  
cam cognitione nitentes CANDIDATOS omnia  
ferè morborum genera & publice & privatim Vi-  
ris doctis exhibuisse conficerem : præterquam quod etiam in-  
numerabilem fere numerum gravissimorum auctorum omni ge-  
nere literarum instructissimorum in omnium manibus versari  
scirem , qui & olim praxin Medicam exercuerunt publicisque  
momumentis consignarunt , atque jam quoque exstant plurimi ,  
qui praxin artis nobilissimæ excolentes , observationes suas  
typis dederint : adeo ut animo fere despondeam , quodnam  
potissimum subjectum mihi eligerem explanandum , nam certis-  
simum est , & jam ad miraculum usque , & morborum Theo-  
reiam & Therapeiam tam accurate esse traditam , ut nil in-  
super à tyrone , præsertim ruditer tantum in hisce exercitato  
adjici possit , quod ullam mereatur laudem , adeo ut omnia  
quæ proposuero forsitan ex aliis hausta & mutuata videri  
possint : verum enim vero quum hæc summa mearum con-  
ditio sit , nullam me utilius arripere posse materiam duxi ,  
quam quæ in Praxi frequenter occurrat , difficilicrisque quo-  
dammodo esset curationis , ut aliquando ad eam me accingens  
subsidariis militibus ad terribilem hunc hostem profligandum  
essem instructus . Itaque mibi sumsi Hæmoptoen , morbum  
hisce in oris satis frequentem & curatu per quam difficilem ,  
in qua examinanda si quid laude dignum præstero , bene erit ,  
sin minus adscribat hæc æquis lector ingenio meo parum sub-  
acto & excuto , cetera æqui bonique consulat . *VALE.*



EXERCITATIONIS MEDICÆ

INAUGURALIS,

DE

# HÆMOPTOE.

THEISIS I.



Æmoptœn itaque aggredior , cuius vocabulum latè quidem sumptum , omnem sanguinis à quacunque corporis parte procedentis per os excretionem denotat , sive ille à faucibus , sive à capite , sive à ventriculo aut similibus ori cohærentibus partibus proveniat : proprie tamen loquendo ejectionem sanguinis per os , ori à pulmone , aut partibus saltē thorace contentis , indigitat , ut docet Gal. 1. 1. de Crisibus Cap. v.

I I.

Licet vero hic varias sputi sanguinei differentias recensere possem , tum ratione variarum caussarum , tum ratione ipsius sputi scil. quod sit magis minus acre , tenue , parcum , copiosum , grumosum , sincerum vel aliis humoribus admixtum , tum quod , quandoque certo tempore & interpositis vicibus , quandoque alio modo effusum sit & sic porro : attamen paucas tantum , sed maximè notabiles proponam , ceteras ad diagnostica signa ablegans , ne in posterum easdem repetere opus habeam : differentiæ autem

## INAUGURALIS.

autem imprimis hic notandæ sunt, 1. è quibus vasis, & quomodo lassis, sanguis effundatur. 2. Quibus in locis colligatur. 3. Quotuplicibus modis per os excernendus ad illud feratur.

## III.

Sed antequam me ad hujus morbi explanationem accingam, requiri videtur, ut quidem quam paucissimis potero verbis pulmonis texturam oculos ponam: verum enim vero, ne in nimiam molem excreseat hæc disputatio, potius duxi lectori oculatissimum Malpighium, omnium semper sermone celebrandum, indigitare, ex quo facile sibi ad intelligendam hujus morbi naturam sufficientia hauserit. Sicco igitur pede tenuissimata hanc pulmonis constructionem transiens, priusquam ulterius provehar, eruendi sunt modi, quibus apertio vasis excitari soleat: statuantur vulgo ab auctoribus tres species: quarum prima *ἀνασόμων* audit: i. e. ubi sanguis per aperta nimis vasorum orificia effluit, quam tamen sine vasis rupture considerant auctores. Altera est *διαπέστησις*, cum sanguis sub forma suanguinis per tunicas vasorum dilatatas effluit: qui tamen modus mihi vix videtur concedendus propter varias & copiosissimas vasorum tunicas sibi invicem incumbentes: nam ferè incredibile est poros hos ita convenire, ut sanguis tanquam sanguis per hos eliminetur: licet sæpe sudor aut sanguine ichoro leviter tintitus, aut a colore vestis aut indusii coloratus specie transudati sanguinis nobis imponat: tertia est *διάλευσις*, quæ est apertio vasis in medio, sive ea fiat per *ρήγην*, ruptionem, sive *διάλευσιν*: i. e. erosionem. Eo lubentius hos vasorum apertioris modos adjunxi, quia in explicandis caussis maximè usui sunt futuri, & ne aliquoties de iisdem mentionem injicere cogar.

## IV.

Dixi commate II. attendendum primo esse, è quibus vasis & quomodo lassis, sanguis effundatur: quantum igitur ad vasa, putem in hæmoptœ potissimum ex arteriis thorace contentis sanguinem effundi, tum quia velocissimo in iis motu fertur sanguis, tum quia arteriæ omnes à latiore initio incipientes, in extremitates tenerrimas & angustissimas terminantur; unde m. s. vehementi cordis actione propulsa, constringentibus etiam sese musculosis arteriarum tunicis, rapidissimo motu ad angustias horum vasorum fertur, quas si minus aptas repercerit, quæ huic motui resistant, variis modis lassere

## 6 EXERCITATIO MEDICA

dere potest: non autem tam facile affici posse venas patet, & ex eorum conformatione, & ex sanguine tarduis in iis moto: nam venæ omnes ex angustissimis principiis originem suam ducentes, atque in capaciorem alveum protensæ, nullam sanguini præbent resistentiam, eumque placidissimo lapsu ad vitæ fontem redire sinunt: neque sanguis tam celeriter, (ut mea quidem fert sententia) in venis protruditur atque in arteriis, quoniam per varias ambages vasculorum & tubolorum carnis actus, varia in iisdem reperire potest offendicula, quibus ejus motus aliquomodo inhibeat: præterquam quod etiam multas particulas motum suum facilitantes huic vel illi parti suo in transitu suppeditaverit, tum quam plurimos spiritus sanguinem in motu suo & debita crassi conservantes perdiderit, atque etiam tandem magnam partem vehiculi sui, seri viz insensile transpiramentum constituentis, foras amandarit. Nollem tamen is esse, qui neget unquam ita lædi venas, ut etiam sanguinem suum non effundant & ita Hæmoptoën efficiant, quum ab altera opinione contra hanc sententiam stent & ratio, & experientia: Ne jam de ratione dicam, quoties testantur Practici Celeberrimi sanguinis sputum obortum fuisse à casu, vulnere, contusione, aut aliqua alia vi externa, solutionem continui producente, & sanguinem ex receptaculis suis excludente? utique ille ictus aut casus eadem facilitate & venam & arteriam lædere potest.

## V.

Paucula hæc de quibus vasis affectis sufficerint: nunc examinandum venit quomodo vascula ledantur: sed hæc ultro in conspectum venient, dummodo affectus hujus caussam proximam investigem, quæ est apertio vasis sanguinei sive venæ, sive arteriæ, cuius apertioris varios modos videre est §. IIII. Remotiores sive procatarcticæ causæ sunt, quicquid apertionem vasis sanguinei producere valet, suntque vel ἀροφάσεις, vel ὀφόρμα: illæ locum habent in constitutione corporis, vel quantum pertinet ad sanguinem, vel quantum pertinet ad partes solidas: hæ in rebus N. N. vulgo dictis: quantum ad sanguinem, ille peccare potest, vel qualitate, vel quantitate: ad qualitatem sanguinis vitiatam referendum est sputum sanguineum, quod originem habet à sanguine minus acri, falso, tenui, ut patet in scorbuticis, phthisicis, bilioso, vehementius & inordinatus, sive à caussa externa sive interna moto, quo etiam referenda est juvenilis ætas, teste divino Sene Aph. XXIX. S. IIII. etenim sanguis tenuior acriorque existens vasculorum oscula referat exedit, aut alio quovis modo

do vasis rupturam excitat: videtur è contra etiam fieri posse à sanguine nimis crasso & ad coagulandum prædisposito, scilicet ubi non satis comode propter sui crassitatem à venis recipi potest, facile in angustiis hæret, ibique moras necens acrior fit, eruditque vascula tenerima, vel ab insequente sanguine à tergo impulsus ruptionem efficit, atque ita extravasatus per os excernitur.

## V I.

Ratione sanguinis quantitate peccantis, hæmoptoen oriri posse (licet vix putem à sola plethora vas aliquod rumpi) affirmare quotidiana experientia videtur, qua constat in plethoricis quibusdam, vel feminis, quibus ob conceptum menses non expurgantur, vel ab aliis caussis fistuntur, malum hoc produci, & quidem circa ullam aliam noxam in sequentem, si oscula modo sponte se colligant & occludantur; quod etiam instantibus mensibus sequiori sexui evenire quandoque testatur expertissimus Platerus pag. 623. Tom. 3. Eadem quoque ratio obtinere videtur in iis, quibus suppressa est evacuatio seri, sudoris aut cuiusvis humoris, in quibus frequens admodum hoc malum est. Statuunt nonnulli Auctores gravissimi sæpe Hæmoptœn originem suam debere Pleuritidi suppuratae, Empyemati, aut aliis vasorum in pectore læsionibus & reserationibus, ubi materia quædam in thoracis cavitate collecta, à pulmone imbibitur, & sic per os excernitur; quod fieri potest, dummodo illud verum sit quod tradit accuratissimus Walæus, se invenisse pulmonis poros ita patulos, ut pifum viridem admitterent.

## V I I.

Dixi superius §. v. etiam ὡροφάσεις ad partes solidas pertinere, in quibus notanda est pulmonis indispositio, sive hæreditaria, sive tempore acquisita, quam adverto secundum vascula copiosissima, & vix aliis membranis aut involucris, quibus ab externis injuriis defendantur, tecta, nimis tenera & gracilia, vel laxa nimis & humida, quo fit ut eorum oscula dehiscant, & sanguinis circuitum interrumptant, vel denique frigore nimis corrugata & constricta, unde cruentem minus expedite transmitunt, qui tunc stagnans vascula distendit, quæ amplius cedere nescia aperiuntur, atque ex eorum osculis erumpit. Recte etiam notat Clariss. Willius Hæmoptœn ex osculis glandularum, quibus unctuosus humor ad tracheæ perficitur.

## 6 EXERCITATIO MEDICA

perficiem internam lubricandam expellitur, nimium relaxatis originem ducere posse, videlicet post catarrhum acriorem, à quo hæc vascula partim eroduntur, partim magis laxantur, adeo ut facile sanguis, licet copia minori, si non purus, saltem sputo admixtus, subsequatur. In genere porro præ aliis partibus ad hunc morbum suscipiendum prædispositus est pulmo, quia est corpus admodum membranum, vesiculosum & tenerum, adeoque facile irritabile, tum ab externis, tum à sanguine nimis acri, aut viscido nimis ebulliente, & vesiculosam hanc substantiam vellicante, quo vi quasi in pulmonem irruit, sputumque sanguineum cauflatur.

### VIII.

Atque ita præcipuis & maxime obviis cauflis, quæ ad *φραγμάτες* spestant, enarratis, converto me ad *ἀφροδίτης*, quæ in immoderatione & abusu rerum N.N. quærendæ: ita ad ambientia referendus est aér, vel calidior, quo sanguis valde effervescit & vim insert pulmonis vasculis, vel frigidior, quo supprimitur seri evacuatio, quod acre factum erodit, nimia copia retentum, rumpit vascula: quod diligentissima Hippocratica observatio docet, quæ notat hyeme flante Borea frequenter accidere Hæmoptyes. Vide de his §. vi. Animadvertisit quoque colendus meus præceptor D. Jacobus Vallan Hæmoptoën ortam fuisse, ex diuturna mansione sub aquis: idem etiam obtinet in iis qui admodum frequenter Thermarum usui indulgent: ad cibum & potum pertinent alimenta piperata, aut aliis calidioribus aromatibus tum aceto, sale condita, vina generosa, sp. vini, aquæ ardentes, assumta venena eti. quæ m. f. in furorem agunt: ad motum & quietem exercitia nimia, immodica, vociferationes, saltationes, tusses, vomitus, sufflationes, ut ex, quas tubicines edunt, spiritus violenta retentio, summus dejiciendi, pariendi, mingendi conatus: facile etiam hoc malum iis accidit, qui operam suam collocant in volvendis, tollendis, aut alio modo loco suo dimovendis oneribus, ut refert Platerus 627. b. Tom. III. ubi etiam Phthiseos cauflam in lapicidis non deducit, ut viri quidam Celeberrimi faciunt, à pulvere lapidum scissorum in pulmone collecto, verum ab extravasatione sanguinis in organa spiritalia, dum quandoque magna saxa locis suis removent. Deplorandum hunc affectum non raro producunt vigiliae & lucubrationes in multam noctem protractæ, quibus m. f. spiritibus suis exutus acrior & crassior fit, vasculaque aperit: ad excreta & retenta ablegantur solitæ evacuationes suppressæ, uti mensum, hæmorrhoidum, hæmorrhagiæ narium &c. ceterum haud infimum locum

## INAUGURALIS.

2

locum occupant animi pathemata; quæ quandoque horrendos in œconomia animali edere effectus consueverunt, atque adeo conturbare m. s. ut sanguis qua data porta effluat: id quod frequenter à lœsis pulmonum vasculis fieri per vulnus, casum, lapsum ab alto, compertum est: hunc denique in modum crediderim me satis ostendisse *quomodo & à quibus causis, vasa ledantur*. Plura qui desiderat audeat nunquam non laudandum Riverium & Willisium, qui satis accurate de hisce scripsere.

## I X.

Nunc paucis mihi incumbit exhibere, *quibus in locis potissimum sanguis effusus colligatur*: quæ loca maximam partem esse putem asperam arteriam ejusque ramos per universam pulmonis substantiam diffusos: nam in hanc tanquam sentinam vapores & phlegmata deponuntur, ut simul cum aëre per exspirationem expellendo foras projiciantur: potest quoque sanguis deponi intra vesiculos pulmonis orbicularis, ex quibus vix, nisi maximo cum conatu, educi potest; vel intra laringis cavitatem, vel paulo inferius circa intermedios ductus tracheales: verum horum omnium signa mox videbimus.

## X.

Tandem perveni ad tertiam meam considerationem §. II. propositam, nempe *quotuplicibus modis sanguis per os excernendus ad illud feratur*: quæ propositio quum nil in se contineat, nisi diversarum cruxis per os excretionum species, quarum exacta cognitio magna curationis in hoc affectu pars est, non abs re alienum fore putem, si earum diagnostica signa proximè hisce subjiciam.

## X I.

Itaque si à capite defluxerit sanguis, ferè absque tussi (licet quandoque tussim leviorē moveat, ubi aliqua ejus portio in asperam arteriam inciderit) cum phlegmate & pituita mixtus, non floridus nec spumosus, ac major illius portio screatu excernitur, defluxus & titillatio levis percipitur in palato, ut fere à catarrho fieri amat; oris palatum sordidum apparet & sanguine commaculatum: certiores magis hac de re reddimur, si eodem tempore manet sanguis è naribus, nam fere semper præcessit narium

B

hæmor-

## 30 EXERCITATIO MEDICA

hemorrhagia. A faucibus si prodeat sanguis, screatu absque tussi & aliquantulum nigricans expuitur. Ex summis asperæ arteriæ proveniens crux, post levem in gutture titillationem, aliquemque caloris sensum, parva tuſſicula absque screatu, facile & fere insensibiliter in os ascendit: neque sanguis hic tam floridus, nec tam copiosus, quam si à pulmone sit: sin vero hujusmodi sanguinis extravasatio dormientibus eveniat, illis evigilantibus fere absque ulla molestia ore effluit. Qui vomitu expellitur, excretionis modo cognoscitur, estque copiosus nigricans, grumosus, quod ferè factum est à fermento quodam in véntriculo latitante, sanguinem ibidem corrupte. Qui ab Empyemate, Pleuritide suppurata aut similibus malis est, aliquantulum grumosus existit: licet autem hoc cognitu nonnunquam difficile sit, tamen conjectura poterimus aſequi, ubi videlicet præſens est Empyema, vel Pleuritis, vel Peripneumonia aut similia mala, nullo alio pectoris vitio præcedente, quod ex signis læſarum partium cognosci potest. Si profluat sanguis ex gingivis, ut in scorbuticis obtinet, oculis fere patet, estque tenuis, falsus, & suſtione vel ciborum contritione elicitor: verum proveniens ex vase majori circa medios pulmones dehifcente aut rupto, & illico in bronchia erumpens, mox tuſſi concitata per os cum impetu & maxima copia spumosus expellitur, ut est in aph. xiiii. f.v. adeo ut afflicti magis vomitu sanguinem ejicere, quam spiritu excernere videantur: sin vero crux in vesiculosam pulmonis substantiam effundatur, hinc paulatim, quantitate minori per tuſſim profundam ſepiuſque repetitam prolicitur & expuitur. Cæterum cauſarum signa ex ſuperius dictis facile hauriri poſſunt. Videnda nunc erit prognosis.

## X I I.

In genere itaque Hæmoptoës curatio valdè ſuſpecta habetur, ſemperque curatu difficultem eſſe quotidiana docet experientia, quæ etiam ratione conſirmatur, quum nempe pulmonis actio in perpetuo motu conſiftat, nec quicquam magis obſit coniunctioni partium diſjunctarum quam motus (nam ad illam quies & ſedatio requiritur) hinc facile curandi difficultatem colligere poſſumus; quam mirum in modum auget ipsa pulmonis texture, quæ, ut Veteres putabant, non eſt aliquod parenchyma, ſed innumerabilium vascuſorum & membranularum congeries. cuius continuitas ſoluta, non tam facile consolidatur, ut quidem in aliis corporis partibus fieri ſolet: præterquam quod & vix credibile ſit, vaſorum diſjunctiones ita

ita accurate rursus sibi invicem annasci, ut non aliquo modo ibidem sistatur sanguis, unde facile punctiones, dolores, vel alia incommoda oriri posse concipio. Difficultatem curationis etiam aggravat, quod medicamenta haud integris viribus ad partem affectam pertingere queant, quod si possent longe fecilior saepe foret curatio. Neque negligenda hic est mala curandi methodus dulcibus instituta, quæ partim tonum ventriculi prosterunt, partim sanguinis acrimoniam augent, in quo maxime culpandum est saccharum, quod in se continet acidum corrosivum à calce saepius, qua purificatur, oriundum. Hisce ita perpensis, non immerito Trallian. dixisse: puto haud novi, inquit, *an aliud eque periculosum sit natus;* ut sanguinis excretio: non enim solum ipsum per se, dum immoderatam adferre evacuationem, enccare solet, sed plerumque origo ac causa esse solet diuturnorum ac calamitosorum morborum. Præcipue, vomice, phthiseos, sputi purulenti etc. vid. Aph. xxv. S. iv. xv. S. vii. nihilominus curationis felicitter peragendæ spes affulget, quando sanguis minore quantitate & bona qualitate prædictus expellitur, nec aliqua ipsius pars in corpore pulmonari remanet, quod ipsum inflammare, arrodere, aut ulcus in eo excitare valeat. Hæc evacuatio absque ulla graviore noxa aliquando fit, natura sanguinem superfluum per hæc loca amandante, ut notatum est in nunnulis mulieribus mensium suppressione laborantibus, & quibusdam in pulmone vulneratis, certis periodis sanguinem ex pulmone prorupisse. vid. Aph. 2. S. 1. si vero hoc frequenter contingat, augeaturque sanguinus excreti quantitas, lethalis non raro est ob magnam inopinatamque croris evacuationem saepe insequentem, ita ut nullo modo cohiberi possit. Minus periculi minitatur in hominibus robustis & sanis, magis in phthisicis, scorbuticis etc. qui, ut supra in caussis innui, maximè ad hoc malum concipiendum sunt prædispositi. Major salutis spes apparet in illis qui leviter vulnerati sunt, quam quibus sanguis vitiosa quadam labe, & natura inimica qualitate obrutus est.

## X I I I.

Missis ergo Theoreticis ad agenda accedo: quantum itaque ad hæmoptoeas curationem. Sciendum aliam esse curam in, aliam extra paroxysmum: In paroxysmo hæc indicationes curativæ potissimum se offerunt: 1. Ut sanguinis affluxus ad partem affectam mitigetur; secundo apertio vasis claudatur. Extra paroxysmum primo crux qualitate

peccans est corrigendus, ut & aliae ad hunc affectum prædispositiones: secundo procurandum ne graviora sequantur mala.

## XIV.

Ut primæ indicationi in paroxysmo satisfiat, mox (omnis enim mora hic noxia) dum sanguis adhuc in motu est, ad V.S. est confugiendum: sed quamnam institues, inquieres, an evacuatoriam, an revulsoriam, an aversoriam, an derivatoriam? quas species & distinctiones licet multi rideant; & tanquam futilis ex Medicina proscriptant, tamen testibus quamplurimis gravissimis Practicis ita experientia confirmantur, ut, velint nolint; hæc iv. V.S. genera illis adversarii assentiri cogantur: fateor quidem omnem V.S. esse evacuatoriam, sed ubi respicimus ad varios mittendi sanguinus scopos, etiam hanc admittere debemus, quum hæc tantum copiæ sanguinis imminuendæ gratia in quavis vena instituantur: reliquæ autem tres species certam & determinatam partem, in qua vena aperiatur, postulent: sed qui plura de his cognoscere velit aedat auctores. Hoc ergo in casu locum habebit V.S. Sectio, quæ quandoque revulsoria, quandoque aversoria dicenda, partim ut sanguinis fervor cohibeatur, partim ut alio deductus aut quasi interceptus haud tanto impetu in partem lœsam irruat; utramque hanc V.S. speciem diverso respectu brachium exhibere potest, unde malim secari venam in brachio illius lateris in quo punctio vel gravitas aliqua percipitur, & quidem per intervalla parca manu, nisi in corpore admodum plethorico quod non tam facilè debilitatur, quam in pede, aut alia parte, quia dicto in loco commodius fieri potest ob vasa majora vulgo, tum quia frequentissimè ex trunko descendente sanguis effluere putatur, quæ etiam conductit, etsi affectus obortus sit à solita quadam evacuatione suppressa, veluti mensium, ubi hæmorrhoides sunt occlusæ, quæ in consuetis aperiantur. Laudant etiam Auctores frictiones & ligaturas partium remotissimarum, tum cucurbitulas scarificatas scapulis aut dorso, vel ventosas unguinibus & hypochondriis applicatas: &c. terram figulinam cum aceto, oxycratum refrigerantia seroto admota subitam animi commotionem per terrorem excitatam, quam tamen, cùm absque periculo & incerto eventu fieri non potest, vix conciliare debemus.

## X V.

Necesse aliquando est, ut bis terve aperiatur vena, quod tamen cautè fiat habitus semper respectu effusi vel abundantis sanguinis & virium ægris: si enim æger debilis sit, nullo modo ea iteranda, ut nec in constitutione admodum acri & scorbutica, sed tum potius, ut & post venam sectam res agenda est cardiacis secundi generis dictis, pertinacibus, testaceis, addendo ea quæ leviter adstringunt & traumatica sunt. (de quibus sequenti Th. videbimus) Nam Clarissimus Willius observat in juvene scorbutica cachexia laborante, à venæ sectione auctum fuisse sanguinis sputum, nimiri ab humoribus acrioribus & magis ebullientibus: nam quum sanguis frænum bilis sit, juxta Hippocr. hinc illo evacuato, bilis magis energiam suam exercit, totamque M. S. in furorem quasi concitat, qui sedari non potuit, nisi adhibitis circa brachia & crura ligaturis. In ipso quoque paroxysmo utiliter alvus clystere ducitur, quod longe majori cum fructu fit, quam si purgans aliquod exhibeat.

## X V I.

Ut igitur vasus apertio occludatur, & cruoris æstus simul cohibeatur, fiant mixturæ ex aq. Portulac. Papav. Rhead. Prophylact. Corall. Sang. drac. in gutt. Terra sigillat. Lemnia. bol. Armena. lap. Hæmatit. Ocul. Cancror. Antimon. diaph. Tinctur. Anodyna. Laudan. Opiat. & similibus hypnoticis moderatis, quæ maximo cum fructu exhiberi solent, additis simul iis medicamentis, quæ leniter sudores & urinas movent, quod ultimum tamen tutissimum esse puto, nec auderem cum Celebri Hartmanno ad vehemens aliquod sudoriferum confugere, metuerem enim nimiam humorum commotionem, qui hic omnino sedandi & consopiendi sunt: in quem finem etiam laudatur sequens mixtura à D. Deckers præscripta quæ

℞. aq. Plantag. ʒij.

Cinamom. ʒij.

Confect. Hiacynth. ʒjß.

Acet. stillatit. ʒß.

Corallor. rubr. pp.

Flor Balaust.

Sang. Dracon. a ʒß.

Laud. Opiat. gr. iij.

Syp. Myrtin. ʒj:

Misce & assumatur successive ex cochlear. Quam optime addidit expertissimus Vir Acetum stillat: nam notandum est, multo melius operari lap. Hæmatit. sang. dracon. ubi hoc, vel spir. vitriol. in parva quantitate ipsi fuerit assusus. In eundem scopum commendantur Julapia, decocta, emulsiones, succulentæ herbarum expressiones, quorum formulæ copiofissimè apud Auctores exstant. Sic in paroxysmo agendorum ratione habita, accedo ad recidivam pejoraque mala præcavenda, sanitatemque magis magisque confirmandam.

## X V I I.

Hoc ut cum fructu fiat, inspiciendis erit §. VIII. in quo inter varia notata, ipsa M. S. excellit, cuius qualitas intra debitas naturæ facultates semper est conservanda, eique justa quantitas procuranda, ne quandoque in nimias effervescentias abeat, vasisque vim inferat. Præstat etenim per V. S. prævenire Hæmoptoen, quam ubi illa jam adest, sanguinis copia laborare. Utrique commode prospicitur, si V. S. & blanda purgatio interdum instituatur, quibus & materiæ peccantis pars evacuatur, & fæculentiæ sanguinis, quæ nonnunquam stupendas in humoribus turbas excitant, feliciter expelluntur: fieri hoc optime potest Ptisana laxante Rive-rii, cuius in Tamarindis dosis erit imminuenda, si sanguis acidior est, & æger tussi vexetur, aut Rhabarb. in substant' adjectis ocul. cancror. sale prunell. &c. quod summis laudibus extollitur, nam sciendum est fortiora purgantia hic nullo modo convenire, quia vires ægri jam prostratas adhuc magis prosternerent aliaque mala augerent. Valde proficuum interim erit singulis diebus manè & vesperi assumere pulverem, qui

- ℞. Antim. diaph.
- Ocul. Cancror. a 3ij.
- Succin. præparat.
- Mastich. elect. a 3j.
- Myrrh. rubr.
- Sal. Prunell. a 3ij.
- Lap. Hæmatit. 3j.
- Tartar. vitriolat. 3ij.

Fiant Pulveres no. xvij. æquales: quibus optimè sanguinis qualitas nature ini-

inimica corrigetur, & fervor si adsit contemperabitur. Possunt etiam ex his similibusq; pertinacibus in eundem finem formari mixturæ cum aq. Rosar. Plantag. Meliss. Tinctur. Corall. additis anodynis ex diascord. Laudan. Opiat. Tinctur. Opii. Caphur. Syp. Papav. utriusque additis subacidis &c. ut antea monui, ex quibus non leves successus se observasse testantur Practici. Hoc in casu & valde commendantur decoct. ex lignis, lac asinum, potus acicularum, limaces in lacte decoctæ, sed ad hoc validus admodum ventriculus requiritur, nam ejus tonum valde prosternunt limaces, quod item de herbarum succis expressis notari velim. Optime decoquitur symphitum ex lacte: commendatur apozema Cydoniorum malorum cum melle, tum Polygani maris, seminum & florum urticæ, quod acres serositates valde temperat; quidem effertur in Cœlum laudibus Balsam. Sulph. cum ol. Hyperici, vel Balsam. Peruviano præparatus, qui si nimis calidus sit, sale Prunellæ temperari potest: conveniens admodum est sem. fraxini cum ocul. Canicr. mastiche succino &c. item syl. de symphyto Fernelii, Myrtinus, Portulacæ, tum mucilaginosa & glutinosa, albumem & vitellus ovorum, gum. Tragacant Arabic. Trochis de Carabe &c. ut autem impuritates & acres humores à pulmonibus deriventur commendat Celeber. Willisius Fontanellæ excitationem, quod hanc optimè præstare putat: ut tandem uno verbo dicam, eadem cura hic necessaria est, quæ Phthisi dicata est incipienti.

## X V III.

Ne vero graviora sequantur mala, sedulo curandum, ne post cessantem jam paroxysmum aliqua sanguinis portio in pulmone remaneat, quæ acrior facta pulmonem erodere, vel alio quopiam modo afficere queat; quare nimis subitanea constrictio est vitanda, resque potius agenda erit Conserv. Ros. Rub. siccata. Rad. Glycyrriz. Trochis. Bechicis nigr. succo liquirit. simplici, composito, Terra Japonica frequenter & diu in ore retentis, ut ita medicamenti vis immediate cum aëre ad partem affectam devehatur. Reliqua fere hoc spectantia §. sequenti recensebo.


## X I X.

Sed omnia hæc frustra erunt, nisi vita prudenter & frugaliter instituantur. Itaque in aëre perflato & puro vivat, non acuto, non nimis radiis

diis solaribus illustrato, aut odoribus imbuto, ne nares irritans sternutationem provocet: vitet cibos calidores aromatibus, sale, aceto conditos, crassos, qui tamen in serosa & salina cacochymia convenient, sed è contra comedat parce, præsertim in cœna, extremitates ovium vel vitulorum ad mollitem coctas, juscula consummata, caseum recentem parce salitum, oryzam, alicam cum passulis, quas sæpe quidam non ferunt, hordeata, fructus adstringentes, Cydonia mala, pruna sylvestria, refrigerantes herbas etc. quæ partim vasa rupta occludunt, partim malam sanguinis diathesin corrigunt. Abstineat afflictus à nimio vini potu, præcipue generosi, aquis ardentibus, sed bibat vinum rubrum modica in quantitate & potum dilutum: caveat sibi à nimia corporis exercitatione, vociferationibus, suspiriis imo de pectore ductis, retentione aëris longiore, à violenta rhedarum vectione etc. animum suum præterea bene regat, efferaque ejus pathemata compescat, nec se facile à cupiditatibus suis auferri sinat. Atque ita cum bono Deo cautè observatis circumstantiis homini laboranti pristinam valetudinem feliciter reddi posse putem, tamen

*Non est in medico semper relevetur ut ager  
Interdum docta plus valet arte malum.*

F I N I S.



# LAURUS APOLLINEA

*Juveni præstantissimo*

D. CORNELIO van SCHAGEN,

Cum in Doctoratus gradu ei ab illu-  
strissima facultate Medica rite oblato  
summos honores consequeretur.



*Valis ubi festis resonat clamoribus æther  
Percutit auratæ fila canora lyræ:  
Ad vitreas Phœbus gradiens Aganippidos nudas,  
Cum sua virgineos dicit in arva choros.  
Talis ego justo jam nunc incensus amore  
Adstringo numeris gaudia justa meis.*

*Sunt numeri fateor, sed non quibus alta merentur  
Ingenii, atque animi robora celsa cani.*

*VALLANNVS mibi testis erit, quam sedulus arti  
Obtuleris largâ thura Sabæa manu.*

*Sive erat exanimum squallens fætore cadaver  
Lustrati propriis viscera queque locis:*

*Quæ nitidâ disposita manu mirata juventus  
Sustulit, invidia facta fremente cano.*

*Sive fero oppressi languerent membra calore  
Æger ubi Medicam multus anhelat opem,*

*Prospiciens, quo diva salus remearet in artus  
Tramite, Presidium lene querentis eras.*

*O quoties vigiles abreptæ noctibus horæ  
Pallade nocturnas discutiente moras!*

*O quoties puri tibi lecta volumina Celsi,  
Et quicquid Grajo Cous in orbe docet.*

*Quod si forte dies letè celebranda veniret  
Cessit ab annoso cura fugata mero:*

Tunc dulces inter permixtos s̄epe sodales  
Nos jocus & casti detinuere sales.  
Abstrusasque inter calices invenimus herbas  
qua possent summi sistere fata rogi.  
Hec ego dum memori, SCHAGENI, mente voluto,  
Serta tibi impeditunt fronde virente caput;  
Sed quo Trajecti nunc dulcia mænia gaudent,  
Affilit & streperis Lecca sonorus aquis,  
Mox tota ingenium Germania cernet, & iram  
Belli oblita brevi tempore rite colet.  
Dum tu Treicio fumantia rura cruore  
Perspicis & captos vincula ferre Getas:  
Cæsareis ubi signa nitent præclara triumphis  
Victricique audis prælia gesta manu.  
Postea perdomitis ablata tropæa Gelonis  
Miratus grævidos messe videbis agros.  
Et pridem populata novo nunc mænia cultu  
Florere Austriacæ conspicienda domns.  
Danubium, & Rhenum & lati nominus Albim,  
Quasque alias placidus saltus obumbret aquas.  
Quid vel perpetuos medicato flumine fontes  
Queis patet occultis abdita terra viis;  
Vel memorem saturas ferroque, auroque latebras,  
Et quæcunque tegit munera dives humus.  
Inter tantarum positus miracula rerum,  
Non potes antiqui non memor esse Laris.  
For sitan & dñci voto revolutus in oras  
Lustrabis patriæ rura beata tuæ.  
Fælicem quem fata sinunt prelustria mundi  
Cernere & in patrio consenuisse solo!  
Sic ego te reducem Doctum volitare per ora  
Prospicio, votis sorte favente meis.

J. T A R G I E R, M. D.